



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

30 Praesumitur in dubio contra occisorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Navar. in d. cap. 27. num. 107. Et hanc esse communem Theologorum, & aliorum doctorum opinionem, probat Greg. Sayr, in dict. cap. 15. num. 6.

26 Hæc autem irregularitas contrahitur per quodcumque homicidium, & cuiuscunque personæ membri mutilationem, etiam sarraceni, pagani, banniti, vel excommunicati, ut cap. clericum 50, distinct. cap. penult. de homicid. & Navar, d. cap. 27. num. 210.

27 Et sufficit, quod quis occidat foetum animatum in utero matris ad irregularitatem incurrendam, qui, si masculus, est, intra quadragesimum, & si foemina intra octogesimum diem solet animari, gloss. fin. in cap. 1. distinct. 5. Navar. eod. cap. 27. num. 223. & Covar. in 3. par. 2. par. relect. §. tertius qui, incip. undecimo. num. 1. circa med. & Gregor. Sayr. in cap. 1. num. 3. lib. 6. par. 1.

Et in dubio, an occiderit foetum animatum, vel inanimatum, tutior pars est putare foetum fuisse animatum, & dispensationem ad cautelam obtinere, cap. significasti, junct. gloss. in ver. ad cautelam, de homicid.

29 Qui etiam, vim vi repellendo committit homicidium, cum moderamine tantum inculpatæ tutelæ non incurrit irregularitatem; per clem. vnic. de homicid. & ibi Covar. in tertia parte, sub titulo de homicidiis 3. part. relect. §. vnic. num. 2. & num. 3. Navar. in eod. c. 27. num. 211. & Gregor. Sayr. qui hanc dicit communem omnium sententiam, in cap. 17. num. 1. eod. lib. 6. & ita fuit à Sacra Congreg. Conc. decisam super cap. 7. de reform. sess. 14. dummodò non sit in aliqua culpa.

Qui ad sui defensionem homicidium committit, ut non incurrat irregularitatem, requiritur, quod careret omni culpa, non daret operam rei illicitæ, & aliter mortem evitare non potuerit: quia inangulatus erat, vel sic arctatus, quod fugere, nec se juvare clamore, vel aliter poterat.

Et in foro contentioso, si de hoc dubitaretur, ei non crederetur, sed per circumstantias occurrentes hoc esset judicandum capitulo significasti, il. 2. §. quod si discerni, de homicid. licet in foro pœnitentiæ asserenti crederetur, ut per gloss. in eadem clement. vnic. in ver. non valens. In quo procedit communis opinio relata per Sayr. in Thesaur. cas. consc. loco supra citato.

30 Quinimò et præsumitur in dubio contra occisorem, ut per Abb. in eadem clement. vnic. de homicidio. num. 5. & Barr. in l. Aurelius, §. idem quesit, num. 2. ff. de liberat. leg.

Et quia tali casu quando homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut, qui se à morte defenderet, narratur fuisse commissum, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, et beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debetur, committenda est Ordinario, aut ex causa metropolitano, seu viciniore Episcopo, qui non, nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, possit dispensare; ut per concil. Tridentin. cap. 7. de reform. sess. 14.

Quo concilii decreto jure novo et videtur, etiam vim vi repellendo, homicidam pœnam irregularitatis incurere: quia decreta ejusdem

Aaaa dem